

Johann Nicolaus Tetens


**Natalem Friderici Serenissimi Dvcis Regnantis Mecklenbvrnici ... V. Idvvm  
Novembris MDCCLXVII. ... Fauste Redeuntem In Paedagogio Dvcali Hvivs Loci  
Pie Celebrandum Indicit**

Buetzovii: Typis Johann. Gotth. Fritzii, [1767]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1698357079>

Druck Freier  Zugang





*MK-8813.*



Vor  
Plan  
Pla  
Proy  
Nac  
Pro

Aus  
Pro

Vor  
Pro  
Vo

Pr  
Vo  
Pr

J

9  
v  
72  
v  
NATALEM  
**F R I D E R I C I**

SERENISSIMI DVVIS REGNANTIS  
MECKLENBVRGICI

PRINCIPIS VANDALIAE SVERINI AC RACEBVRGI  
COMITIS SVERINENSIS,

TERRARVM ROSTOCHII ATQVE STAR-  
GARDIAE DOMINI,

*DVCIS AC DOMINI NOSTRI  
CLEMENTISSIMI*

V. IDVVM NOVEMBRIS cl̄ōccclxvii.

*QUINQUAGESIMA VICE B. C. D.*

FAUSTE REDEUNTEM


IN PAEDAGOGIO DVICALI HVIVS LOCI

PIE CELEBRANDUM

INDICIT

**M. IOANNES NICOLAVS TETENS,**


PHYSIC. PROF. P. O. ET PAEDAG. DUC. DIRECTOR.



*B U E T Z O V I I*

TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.  
ET ACADEM. TYPOGR.

NATALEM  
FRIDERICI  
SERENISSIMI DUCIS REGNANTIS  
MECKLENBURGICI  
PRINCIPIS VANDALIAE SVEBICAE AC RACEBURGICAE  
COMITIS SVEBICENSIS  
TERRARUM ROSTOCHI ATQUE STAR-  
GARDIAE DOMINI  
DNCIS AC DOMINI NOSTRI  
CLEMENTISSIMI



IN PARSBACH  
M. JOHANNES MOULAVS TETENS  
Parsbach, P. B. et Tetens, Duc. Mecklenb.  
Parsbachii



Q. D. B. V.

LECTORES HUMANISSIMI.



Cum tertia nunc vice, Lectores *Humanis-*  
*simi*, ad Natalem SERENISSIMI NO-  
STRI DVCIS REGNANTIS, a ciuibus  
Paedagogii hujus loci celebrandum, Vos  
inuitare debeo, id quoque a Vestra mihi  
concessum esse puto benevolentia, vt  
de re scholastica quaedam disserere coram Vobis liceat. Nihil  
enim meo officio esse convenientius arbitror, quam eo tempo-  
re, cum aliquis saltem publice reddenda est ratio, quibus di-  
sciplinis quibusque consiliis, cum ingenia tum animi adolescen-  
tium in hac nostra schola formentur, aliqua quae constitutio-  
nem educationis publicae attingunt, exponere. Sic enim, si mi-  
aus

a 2





nus Vestrae satisfacimus expectationi, quid efficiendi nobis fuerit animus, intelligetis. Praeteribo autem in praesenti ea, quae de institutione in litteris & alio loco dixi & dicenda adhuc habeo: atque hac vice pauca ex iis libabo, quae *disciplinam morum* constituendam concernunt. Cum autem de *morum* disciplina dicam, illud vocabulum volo latius sic sumi, vt non civilitatem externam solam, sed etiam, idque magis, internae honestatis, pietatis, atque virtutis exercitium illo comprehendatur.

In eo quidem facile omnes convenient, educationem puerorum non absolui ingenii cultura: sed operam quoque dandam esse, vt mentes illorum formentur induanturque virtutibus, & vt mores externi ad decori normam componantur. Id autem superest, quod quaeri hac in re potest; quam nempe ratione cura illa puerorum per hasce diuersas educationis partes distribuenda sit; quantaque vni & quanta alteri impendi debeat? Quodsi enim communem nostram quae hodiernum obtinet, educandi rationem consideramus, videmus, ad augmentum cognitionis & doctrinae in litteris & linguis, tanquam ad vnicum fere, saltem ad summum & primum scopum, omnes referri labores, omnemque educantium diligentiam; huic enim rei integrum, quod habent, tempus impendunt, omnemque, qua valent magistri, facultatem & artem ad illam adhibent. Voluntatis contra formationem obiter tantum curant, & absque contentione, & in hac, tanquam re secundaria, vix horas subsocias, modo hoc quoque fiat, volunt consumere; multo minus ad certam aliquam normam hanc operae partem componere. Sic enim, cum privatim domi tum publicis in scholis, solet agi. Multo quidem labore & quotidianis exercitationibus efficitur, ut pueri nostri euadant doctiores, idque quidem recte: vt vero meliores quoque reddantur, verbis quidem adhortamur, vsum autem & exercitationes eum in finem instituendas saltem non frequenter adhibemus. Nam si vel maxime, obveniente sua sponte aliqua  
occa-



occasione non omittamus eum in finem vti, vt pueri honeste agere discant, nimis tamen fortuitam esse eiusmodi exercitacionem, & nimis raram, quam vt hac quidem ratione habitum & consuetudinem virtutum adolescentes contrahere queant, negari non potest. Nec multo aliter sese res habet in publicis locis, in quibus educandi ratio suis regulis exacte definita est. Si quantum ad litteras addiscendas nil fere desiderari posset, ad mores formandos aptius quid eo, quod vulgare est, atque magis idoneum, raro aut nunquam inuenies. Recte meritoque num hoc fiat, an aliter, deinceps inquiram. Nec minus eadem ratione, qua hic nos gerimus, iudicare etiam de hac re solemus. Quotiescunque enim aut de habilitate paedagogorum, aut de scholae cuiusdam constitutione, sua ferre solent plerique iudicia, primas semper partes deferri institutioni litterarum videmus, secundas demum honestatis disciplinae. Quo plures itaque linguas aliasque notitias aliquis puerum edocuerit, quoque magis memoriam sagacitatemque eius aliasque intellectus facultates excitarit acueritque; eo melius muneri suo satisfecisse putatur: & hoc quidem quantum ad partem aliquam educationis, nil certius est. At nonne & reliqua in censum vocanda sunt? an nempe puer e schola rediit solida pietate instructus? iustitiae, veracitatis, benevolentiae erga alios vsu imbutus? an mente, fortitudine & temperantia, in quarum copula summam virtutum ciuilium posuit *Plato*, modestia, obsequio, firmata & coercita? aut an potius quae hisce contraria sunt, induit vitia? Non dico quidem, haec omnino non quaeri, ne forte nimis dixisse videar: at non aestimari haec satis, nec tanti vulgo haberi, quam in hanc partem educationis consumsit praeceptor operam, quanti debeat, vt inter rationes officii bene gesti grauiiores illam referre liceat, obseruamus.

Hanc educationis nostrae indolem si conferimus cum illa, quae apud gentes quasdam antiquas fuit vsitata, cum voluptatis



tis causa, tum ut experiamur, num ab illis aliquid in usum nostrum transferri queat, videmus hanc antiquam nostrae communi in eo esse contrariam, ut cum haec primum locum ingenii culturae, secundum deinde mentis formationi assignat, antiqui contra maximam hujus & minorem illius perficiendae in pueris suis curam habuerint. Sic enim res sese habuit saltem apud illas gentes, apud quas educatio communis aliqua & regulis publice constitutis definita fuit, ut apud *Spartanos* & *Persas*. Ad illos enim quod attinet, hi, teste *Plutarcho*, litteras ad usum saltem discabant: ex quo non adeo multum operae in iis addiscendis eos collocasse intelligitur. Longe vero maius studium reliqua illorum exegit disciplina. Exercitationes enim eum in finem institutae, ut discerent parere, labores perferre, in pugna vincere, vitam pro patria atque republica offerre, aliosque induere mentis habitus, quos in viro Spartano inesse voluit *Lycurgus*, multifariae erant, atque studiose excogitatae & legibus praescriptae, quod ex *Xenophontis* (*in Republica Lacedaemon.*) & aliorum testimoniis apparet. Non equidem, fateor, multum hisce illorum institutis inest, quod imitari nos & possumus & debeamus, quamquam adeo celebrata fuerunt apud antiquos, ut proverbio inde increbuerit, solas *Lacaenas* viros parere. Rigida enim illa Spartanica virtus, praeter amorem patriae & fortitudinem bellicam, prouti in rudi gente esse potuit, vix quicquam comprehendisse videtur, quod ad veram internam honestatem in homine & ciue nostrae aetatis exigendam, accederet. At hoc vero nihilominus inde discimus, posse morum disciplinam suis definiri regulis, atque sic rem institui ut exercentur in bene agendo pueri, & occasiones illis administrentur, quibus bene agendi consuetudinem contrahere queant: quae consuetudo nisi sola in externis corporis motibus consistat, & si quoque animo inhaeret, & ad intelligentiam honestarum rerum composita est, virtutis nomine digna & vehementer multum aestimanda est.

Multo

Multo autem magis hoc perspicitur ex ea, quae anti-  
 quis temporibus apud Persas in usu fuit, educandi ratione.  
 Haec prae aliis digna est, ut mentionem eius faciam. In eo qui-  
 dem communem cum Spartanorum institutis habuit indolem,  
 ut multo maior in voluntate adolescentium formanda quam in  
 ingenio excolendo diligentia fuerit adhibita: nam etsi non ne-  
 gligebant litteras & notitias, quibus ciuem probum & honestum  
 instructum esse oportebat: de virtutum tamen disciplina erant  
 longe magis solliciti. At vero in hac quoque multum Lacedæ-  
 moniis praestabant. Quodsi enim vera sunt, quae *Xenophon* in  
*Cyripaedia* de institutis eorum scholasticis retulit, & quae ob  
 alia veterum testimonia, quibus idem confirmatur (\*), in dubium  
 vocari vix possunt, fatendum sane, ad cultum Deorum, ad iusti-  
 tiae, veracitatis, reuerentiae erga parentes, obsequii, temperan-  
 tiae atque modestiae habitum iuuenili menti imprimendum, nil  
 magis idoneum & efficacius, ab vlla gente excogitatum esse, nec  
 absolutius quid eo, quod in disciplina & institutione illorum in-  
 uenitur. Sic enim, ut hoc exempli loco afferam, comparata  
 apud eos fuit ratio iustitiam pueros docendi. Praefecti horum  
 magnam diei partem in iure dicendo impendebant. instituebantur  
 tunc inter ipsos adolescentes accusationes non secus quam  
 inter viros, variorum criminum, furti, rapinae, vis illatae, doli,  
 conuitii aliorumque: atque hisce controuersis, sicut & aliis  
 causis discutiendis interesse pueris permittebant, ut non regulis  
 solis sed ipsis exemplis ob oculos positis iustitiam discerent con-  
 sectari (\*\*). Et qui sic erant ad hanc virtutem assuefacti, mi-  
 rum non est, eosdem cuique suum tribuendi adeo fuisse studio-  
 sos, ut turpe ducerent, quod refert *Herodotus*, quicquam cui-  
 quam debere. Similis etiam ad alias virtutes exercendi illos fuit  
 ratio.

(\*) Vid. *Hutchinsoni* Dissert. sec. editioni operam *Xenophon-*  
*tis Lipsiensi* clbocclxiii. praemissam.

(\*\*) *Xenophon Cyripaed. lib. I. cap. 2. §. 6.*

§      \*      \*      \*

ratio. At vero cum hoc merito admiramur, tacendum quoque non est, viros qui muneri pueros educandi praefecti erant, fuisse e seniorum numero electos, id est, ex illis, qui tum prudentia & moribus caeteros antecellebant, tum honore & auctoritate valebant; cui rei praestantiam suam illa virtutum disciplina, maximam saltem si non omnem, debuit. Eadem autem educatione indoles apud Persas ex iis quoque intelligitur, quae de institutione Principum apud illos *Plato* commemoravit. (\*) His enim (nolo autem ipsa Platonis verba adponere) cum ad annum aetatis decimum quartum pervenerint, quatuor additi sunt regii paedagogi, ex omnibus Persis ad hunc finem electi praecipuique. Horum vnus, quem oportebat esse virum sapientissimum, Magiam Zoroastris, siue Deorum cultum discipulum suum docuit, & instituta regia cum arte regnandi: reliqui omnes mores formabant. Secundus enim, qui erat e iustissimis, admonere eum debuit, vt in omni vita esset verax: tertius, vir temperantissimus, ne vlla cupiditate superaretur, sed libere viuere consuescat ac reuera sit rex, imperans ante omnibus illis, quae insunt in ipso, nec vlli feruens. Quarto denique, quem eligebant fortissimum, haec sparta fuit imposita, vt principem redderet impavidum, nec quicquam metuentem, ne cuiuscunque euaderet seruus. Quae quidem cum ita fiebant, quid mirum in gente adeo Regum suorum filios curante, *Cyrum Xenophontis* aut vere existisse talem, qualem eum hic auctor exhibuit, aut fingi (\*\*\*) cum verisimilitudine potuisse?

Multa

(\*) *In Alcibiade primo.*


(\*\*) Plurimi *Cyripaediam* pro scripto habent fabuloso: sunt etiam qui veram esse historiam arbitrantur. Horum sententiam defendit *Hutchinsonus* Diss. Ima l. c. cuius rationes id quidem confirmare videntur, res gestas Cyri & quae publice egerit, ad fidem historiae esse conscriptas, at *Xenophontem* ex ingenio multa addidisse ad effigiem

Multa hoc loco veniant obseruanda, cum de caussis antiquae huius educationis & nostrae diuersitatis, tum de ratione quare illa apud Persas haud diu salua & incorrupta conseruata fuerit. Sed mittamus illa, & hoc vnum inde colligamus: disciplinam virtutum in educatione & necessariam esse, & tantum illa effici posse, quantum hodie perpauci persuasum habere videntur. Scio quidem & sentio, omnem illam gentium illarum virtutem, quam suis Persae instillarunt adolescentibus, cum christiana nostra pietate comparatam, nullius fere pretii aestimari debere: hac autem neminem, nec vlla humana aut facultate aut diligentia, vel semet ipsum vel alios, posse imbueri. At vehementer simul errare illos existimo, qui eam ob rationem sibi persuadent, operam & studium in humanis virtutibus inculcandis aut frustraneam esse aut superuacaneam inutilemque. Nil certe minus, modo ne illud incurratur vitium, vt, cum efficiamus bona & praestantia, negligamus optima & maxime necessaria. Virtutes enim humanae cum laudantur, iustum quoque illis pretium, quantaque supersint altiora & maioris necessitatis, definiri, & qua via haec quoque consequi liceat, demonstrari oportet.

Sed redeamus ad nostram hodiernam educandi rationem; & ne aut nimium aut de industria nos illam reprehendisse videamur, inquiramus diligentius, tum in quo illa ad scopum sufficiat, quem obtineri oportet, tum in quo vltius sit perficienda.

Atque hic quidem rectissime sese habet, quod adolescentes nostros ad verborum & variarum rerum notitiam studiose  
 b & di-

iusti & perfecti imperii absoluendam, sic vt inter commenta magis quam inter historias scriptum illud referri debeat, vero omnino simile videtur.



& diligenter exerceamus, & cognoscendi facultates in iis, ingenium, iudicium memoriamque, omni, qua id fieri potest, ratione excitemus & acuamus. In hoc certe nostrae educationis magna est praestantia. Hoc enim dum facimus multum simul ad animi formationem efficimus: cum artium liberalium & linguarum magna est ad hunc finem efficacia. Nam ingenii cultura mentes & mores emollit, hosque feritate sua exuit naturali. Quo fit, ut pueros nostros, sic probe edoctos, nos quidem ratione & argumentis ad honestatem aliquo modo queamus ducere, idque facilius, quam antiqui suos vsu & exercitiis potuerint condocere. Neque hoc solum; sed ipsae linguae ac disciplinae, quibus nostros informamus, ne addisci quidem possunt, absque lectione veterum & recentiorum auctorum, quo memoriam magna ditetur praeceptorum, & prudentiae & virtutum, copia, necesse est: ne de sanctioribus notitiis harumque effectibus in animum dicam.

Neque id reprehendendum arbitror, quod maxima & temporis & studii pars doctrinae augmento in pueris impendatur. Quamquam enim hoc nolo in educatione esse vnicum aut principem scopum, sed potius alterum, animi nempe compositionem ad honestatem, tamquam rem maioris momenti, illi merito praefendum esse duco: nil tamen obstat, quo minus plurimae diei horae litteris docendis destinentur, & pauciores supersint ad voluntatem formandam. Quemadmodum enim maior est agricolae labor, in agro arando & occando aliisque modis eum subigendo, quam qui in ipsa satione consumitur, cum ille tamen esset inutilis nisi hic accederet: sic quoque non incongruum est in educatione, institutioni in litteris, qua ager ingenii praeparatur, plus operarum tribuere & temporis, quam morum disciplinae, quae semina spargit, segetemque deinde curare debet & colere.

Haecenus bene. At liceat breui nunc adicere, quae meae qualicumque sententia hic iure desiderantur, quibusque haec nostra



12  
2

strā educatio saltem in paedagogiis publicis perfici possit & debeat.

Institutioni igitur in litteris ad regulas suas compositae adiungi oportet accuratam, & itidem ad regulas suas constitutam exercitationem & vsum virtutum, quo voluntas iuuenum ad honestatem formetur. Haec quidem quae vulgo adhibetur, morum observatio, cum actiones puerorum magistri obseruant, & occasione aliqua obueniēti salutariter castigant & admonent, egregia est & nulla non laude digna, at nimis tamen abest plerumque ab arte & studio, vt egregium quid & perfectius inde sperare liceat. Est enim illa exercitatio, si qua est, nimis fortuita, ad temporis & loci opportunitates restricta, quae eo rarius obueniunt, cum plerique paedagogorum actiones adolescentium per transfennas tantum adspicere solent; indeque fit, vt puero in laboribus suis scholasticis modice diligenti, si externam iungit morum ciuilitatem & a turpibus abstinet, facile sit, omnes eiusmodi priuatas praeceptoris vituperationes effugere. Deinde quoque easdem admonitiones sermone & verbis tantum fiunt, quae facile aurem praeteruolant: deest vsum & exercitium. Dicit e.g. iuueni diuiti, beneficiis eum delectari oportere; facis quidem egregie: at magis facies, si pauperem ope eius indigentem tanquam clientem ei ostendas, & vt benevolentiae erga alios facto det testimonium, exigas; tunc exercebis illum. Nec hoc denique tacendum est, illam laudatam educandi rationem nimis arctis contineri limitibus, nec ad singula virtutum genera, immo ne ad illas quidem extendi solere, quae principia sunt reliquorum, propiora nempe, nam in remotioribus si subsistere liceret, vna sola virtus coeteras omnes comprehendit, vt vnicam dari virtutem non plures, quidam recentiorum iure suo asserere potuerint. Est enim vna radix, & vnus truncus qui cum omnibus suis ramis & frondibus vnā faciunt arborem, quam si cum virtute comparas, & hanc vnā solam esse dicis, varios

b 2  
nihil





nihilominus & diuersos eiusdem esse ramos haud negabis. Et ficti in arboribus arte effici potest, vt rami earum ad hanc magis partem quam ad aliam propellantur, si molles adhuc & tenelli ad eam magis inflectuntur; & id quoque contingere potest, vt in vno latere tabescant & emoriantur, dum in altero viuida viriditate florescunt; ita quoque in mente humana virtute licet imbuta, videmus non solum ad quaedam honestatis officia praestanda facilitatem maiorem, quam ad alia inesse, sed haud raro eundem hominem, qui in alia bonarum actionum genera promptitudine quadam fertur, ad alia aut nullam fere aut paruam habere facultatem.

His quidem recensitis defectibus facile est addere alios: at vero difficilius, ne dicam eos emendare, sed excogitare saltem eiusmodi remedia, quibus perfectior aliqua morum disciplina obtineri possit, quaeque simul nostro tempore in paedagogiis publicis habere liceat. Hoc enim nisi observes, absque labore quidem inuenies quae valde sunt idonea, at quae quoque in nostro seculo optari quidem, at nulla verisimilitudine sperari poterunt.

Multum tamen in hac re etiam in nostris publicis scholis, quas dicunt *Reales*, quales illae nunc quidem plerumque sunt, aliisque, quae illis in eo similes sunt, vt praeter institutionem in litteris etiam animi & morum cura habeatur, effici possunt: idque mediocribus, vti etiam sunt, viribus, modo ne desit bona voluntas. In publicis dico scholis; & saltem in illis melius & facilius, re in vniuersum considerata; nolo enim contendere quod extra illas perfecta esse omnino non queat educandi ratio; quam priuatim domi, si reliqua paria sunt. Nulla enim est virtus, ad cuius exercitium & habitum induendum ex consortio plurium, iisdem legibus educandorum, non sumi possint occasiones & incitamenta; quod inter parietes priuatos secus sese ha-  
bet.

bet. Nunc autem qua ratione id fieri queat videndum est. Hanc autem expositurus breui utar oratione, satis longa illis qui sequi possunt & volunt: cum reliquis nec sufficeret copiosissima.

*Primo autem hoc maxime opus est, ut indolem mentis & mores cuiusuis illorum, qui curae suae commisi sunt, perspectos probe habeant paedagogi. Nam etsi nullum est vitium, cuius semen non insit in mente humana, & in puero, quodque si succrescat omne turpitudinis genus protrudere possit, procliuatatem tamen & habitum ad hoc vel illud maiorem & singularem in vno obseruare licet, quem eiusdem saltem gradus in alio non inuenies. Idem de virtute & honestate, quantum haec quidem naturalibus viribus nascitur, locum habet. Insunt nempe femina illius in mente at vitiata & debilia, prouti est in vniuersum maior ad bonum quam ad malumabilitas: at tamen pro indolis, cum connatae, tum tenerrimis iam annis acquisitae diuersitate, vni ad hoc aut aliud bonorum genus propior & fortior quodam modo inhaeret inclinatio, quam aliis & ad aliud. Has, quae cuique propriae sunt mentis voluntatisque affectiones, bonae malaeue sollicitate ante indagandae sunt.*

Hic vero statim aliqua obuenit difficultas. Non enim proclive est, adolescentes sic expiscari, ut verus character & habitus animi cuiusuis aperte constet. Nimis varia & mutabilis aetas est iuuenilis, modo hoc modo alio affectuum genere facilius commouenda, cupidinibus illis, quae aliquando in animum regnaturae sint nondum adultis. Communia tum virtutum tum vitiorum in pueris genera non latent: at quae intercedunt inter diuersos differentiae, aut, ut in segetibus quibusdam cum primum e terra prodierint, inuolutae adhuc sunt, aut nimis tenues, ut obseruatori, nisi attento, non appareant. Hinc etiam praeceptorem, qui illud praestare velit, oportet ipsum virtutum vitiorumque naturam, harumque pro-



prietates, diuersitates variasque quibus se exerunt in agendo; rationes, habere perspectas; ideoque cum mentis humanae atque Ethices cognitione solida, tum prudentia communes huius scientiae notiones ad singulares actiones applicandi, id est, Ethices peritia & prudentia, haud vulgariter instructum esse. En autem, forsân quis dicet, aliam difficultatem illa priori haud minorem.

Quantum ad hoc, non adeo difficile fore remedium, existimo, quam rara forsân est illo vtendi voluntas. Qui enim ad educandi munus cupit admoueri, eum oportuit aliqualem saltem operam virtutis & honestatis scientiae nolo dicere Philosophiae, legendo & meditando dedisse. Et quis, nisi ad omnem doctrinam ineptus, de opera in hac addiscenda, nostro tempore potest conqueri? Hanc autem scientiam si diligenter in se ipso & in aliis colere serio velit; sic enim simul aliquantulum saltem poterit; & si modestus sit, sibi que caueat ne suae intelligentiae antequam maturitatem sit assecuta nimis facile confidat, tum satis eum ad hoc munus obeundum paratum esse arbitror. Non subsistere tamen debet in principiis, sed accedat, vti in omni alia re, ita in hac quoque, vsus & exercitatio, & discat deinde docendo, necesse est. Illiusmodi autem viri, si praesto sunt, egregium quid posse effici caret, vti mihi quidem videtur, dubio, & si non vnus, plurium tamen coniunctis viribus & voluntatibus.

Altera quoque quae ex re ipsa nascitur difficultas multum imminui videtur, si propius eam adspicias. Separentur ex illis, quae in adolescente deprehendis, primo quae cum aliis illi communes sunt affectiones; quo distinctius & facilius attentio ad alias, quibus differt, queat conuerti: tum adde aetatis, & disciplinae, qua ante puer vsus est, quam tuis curis demandatus fuerit, si illam rescire potest, nec non fortunae, qua gaudet, & vitae conditionis, cui se dicauit, si sua sponte ad illam fertur,  
con-



considerationem. Et his in subsidium vocatis denique, quod praecipuum est, diligenter in minimis suis eum persequere actionibus: sic fieri nequit ut non exeat foras & se prodat animi dominus, simulandi artem in illa aetate nondum edoctus, ad minimum eo usque, quo nosse eius indolem maxime interest. Vehementer autem facile erit omne hoc negotium illi, qui in experimentis in hoc rerum genere capiendis paululum versatus est. Accedit etiam, quod in eiusmodi schola, qualis haec nostra est, idem puer a pluribus simul praeceptoribus obseruetur & custodiatur, ut, quae alteri effugere, alter queat animadvertere, quaeque singuli cum singulis communicare possunt & ex officii ratione debent.

Haec autem quae in cuiusvis pueri ut ingenio, ita & mentis natura obseruata fuerunt, *oportet scripto mandare, & indicem aliquem constitui, quo maxime ea contineantur, quae singularia & propria sunt.* Et hoc quidem secundum est, quod faciendum in morum disciplina arbitror. Ille enim index, si semel confectus fuerit, magno deinde praepetori erit commodo. Nam obseruandi facilitatem non solum adiuuat, si quae occurrant calamo excipiuntur, sed etiam postea tabula eiusmodi succurrit memoriae, ut distinctam & exactam, quam de discipulis suis sibi comparauerit notitiam, retinere, & quotiescunque opus erit, in mentem nullo labore reuocare queat.

Quodsi nunc singuli Praeceptores ingenia & indolem adolescentium, quos educare debent probe habent perspectos, *tum tertio cogitandum est de dilucida & ad captum iuuentutis accommodata virtutum morumque praeceptione.* Hunc in finem de quaque virtute & de quoque illi opposito vitio, erudiendi sunt; breuiter & exemplis potius ex historia desumptis, immo interdum, caute tamen, ab ipsis condiscipulis mutuatis, quam regulis: quae tamen institutio pro diuersitate aetatis & iudicii, aut ad  
accu-



accuratam expositionem, & philosophiam morum magis oportet accedere, aut collectis aliquibus sententiis moralibus memoriae instillandis contineri. Atque hoc negotium statas suas habeat horas, quibus peragendum sit; saltem quantum ad institutionem magis adultorum, cum pro iunioribus sufficiet, si iisdem, quibus religionis fundamenta iis proponuntur, horis, vitae simul praecepta inculcantur. Quantum autem ad omnes in vniuersum, non negligendae illae, quae in lectione auctorum, & in historia, & alias, sua sponte se quasi offerunt occasiones, amorem virtutis accendendi & a vitiis deterrendi. Maxime in hac re valent familiares Praeceptoris cum discipulis suis colloquutiones, horis subseciuis confectandae; cum ille vt estimator potius quam magister de rebus, quae occurrunt, suam exponit sententiam, & puerorum quoque iudicia interrogando conatur elicere.

Sed id denique caput caussae est, vt vsus & exercitatio adhibeatur. Haec enim abesse nequit a morum disciplina. Est autem necesse ad hunc finem, *vt cogitetur de occasionibus saepissime pueris administrandis, quo in quoque virtutum & honestatis genere agendo sese queant exercere.* Primo quidem id fieri debet in illo, ad quod magis sua sponte feruntur, aut cui saltem refragantur minus: deinde ad alia progrediendum difficiliora, & quibus mens & appetitiones magis aduersae sunt: quae discernere ex sua, quam de iis habet, notitia magister potest. Cautus autem sit in coactione externa hic adhibenda. Menti enim inferenda est virtus, nulla vi imprimenda. Illi coactioni suus quidem locus est: tum nempe cum externa quaedam corporis actio, aut a nolente ob inertiam, & a refragante ob malitiam, elici, aut in alio volente & peruicaciter conante impediri, necesse est. Et haec quidem necessitas in iunioribus saepius, atque ob arctius externorum cum internis voluntatis affectionibus vinculum, illorumque fortiores in haec effectus, in iis quo-

quoque occurrit, quae in prouectioribus aut soli arbitrio aut magis saltem relinquenda sunt. Horum aliquid num subsit sollicitate ante videndum est, quam verberibus utendum, quae intempestiue adhibita magnorum saepe fontes sunt. Instet potius praeceptor & virgeat adhortando, reprehendendo, exempla aut laudando aut vituperando, praedicandoque semper & vbique virtutem eiusque exercitium.

De occasionibus autem administrandis maxime sollicitum esse oportet paedagogum. Quantum quidem ad plurima virtutum genera, eaque maximi momenti, pietatem nempe, iusticiam, temperantiam, beneuolentiam, frugalitatem & liberalitatem, quotidie in plurium discipulorum frequentia eiusmodi occurrunt, quae ad pueros in iis exercendis adhiberi possint, si Praeceptor huic rei intentus, illa sciat arripere, iisque opportune uti. At tamen alia quoque de industria excogitanda & ad communem aliquam normam, certaue sua tempora constituenda sunt. Nam nisi hoc fiat, perfectior aliqua disciplina, quantum ad exercitationes, vix expectari poterit. Si enim vel maxime nec operam nec diligentiam suam praeceptor desiderari serio velit: facile tamen illi quoque accidet, quod vulgo solet contingere, ut negotia, quae saepius agenda & iteranda, at arbitrio & opportunitati agentis soli relicta, nec regula quadam definita sunt, segniter tandem & obiter, saltem cum noua esse defierunt, tractentur. Non ideo haec dico, ut nollem, adolescentem non quouis tempore admoneri, reprehendi & ad bene agendum manuduci debere. Minime, quaeuis potius occasio idonea eum in finem arripiatur. At rem omnem soli casui, quod sic fieret, non permitti debere, sed constantem legibus suis reddendam esse contendo. Idque eo magis, cum hic non minus quam in aliis similibus & bonis rebus, nimium quid fieri potest, & prudentia aliqua in praeeptore opus est. Quod si enim res aliqua ad opportunitatem est restricta, non semper,  
 c nec



nec omnibus, nec omni tempore & loco, nec omni ratione, ea dicenda & agenda sunt, quae dicere & agere necesse est; at si contra certa & communi illa comprehensa est regula, non verendum ne inconuenienti aut tempore aut loco agatur. Sic autem iis occasionibus, quas ipse actus vitae iuuenilis offert, vtendum esse puto. Si quae obseruauerit paedagogus actiones, quae illi ansam dare videntur, vt aliqua virtutis alicuius exercitatio institui, aut vitium aliquod dedoceri, aut singulari quadam ratione reprehendi & tetra sua facie menti sisti queat: has scripto ad memoriam noter, breui solum ad tempus interposita admonitione, v. c. si iniuste egit puer, aut alium verbis vel factis fefellit, aut si rixatus est cum alio, & sic porro. Quamquam enim plurima eorum, quae quotidie occurrunt, eo statim momento, quo aguntur, reprehendi aut laudari oporteat, & deinde negligi, multa tamen quoque sunt, de quibus ex tempore neque iudicari potest aut debet. Haec feligenda & ad eum finem, quem nunc dicam, reseruanda sunt. Instituantur enim certis suis temporibus, & duabus saltem vicibus quauis hebdomade, publica quaedam iudicia, praesentibus pluribus discipulis: tunc illa nondum diiudicata exponantur coram omnibus, fiantque diligentiae & morum recensiones, componantur rixae & controuersiae, decernantur & poenae & laudes, & similia: quae omnia eo tendant, vt discant iuuenes, quid sit ita agere, vt actionum suarum queant reddere rationes.

Praeter haec autem *ludorum* quoque multum interest, ad morum disciplinam. Hi enim, si ita instituuntur, vti seopus illorum postulat, in virtutum, maxime ciuilium, exercitationem mutari possunt. Sed illum ad finem obtinendum normam suam quoque habeant oportet. Nam etsi arbitrio ipsorum ludentium plurima in illis relinquenda sunt, opus tamen hic etiam est magistro, qui obseruet, dirigat & moderetur. Itaque eiusmodi ex variis ludorum generibus eligendos existimo, quibus ludentibus  
 praec-

praeter corporis sanitatem firmitatemque & honestam animi remissionem, simul quoque consuetudo aliqua concilietur in illis negotiis, quae deinde virili aetate ab illis serio tractanda erunt, aut quae cum hisce similitudinem quandam habeant. Hinc pro iunioribus laudarem illos ludos, qui vitae civilis in republica sunt imitationes; pro prouectoribus, si opus est, alii excogitari poterunt, in quibus magis serio quaedam agantur.

Praemissis hisce generalibus, dicendum esset de quaque virtute eamque exercendi ratione sigillatim. At longius iter est per integram illarum sylvam, quam in praesenti persequi ob temporis angustiam licet. Et haec ne id quidem permittit, ut de exercitatione pietatis, omnium virtutum primae, & a qua separatae reliquae instar herbarum sunt ex femine in rupem coniecto, vberius & distinctius, prouti propositum erat, dicam. Nam etiam haec suam habet normam, nec a quouis aequali cum fructu instituitur.


*Vos autem, Lectores Humanissimi, iterum compello.* Quid a *Vobis* petiturus sum, scitis, hoc scilicet, ut praesentia *Vestra*, in qua magna inest vis cum ad excitanda iuuenum nostrorum ingenia tum ad animos eorum dirigendos, scholasticam nostram Natalis SERENISSIMI nostri DUCIS REGNANTIS celebrationem aliquo modo reddatis solemniorem. Iuuenilem nostris virium tenuitatem adolescentium nostrorum, sed iuuenilem quoque non desiderabitis animi candorem & pietatem, qua vota fundent, pro omnigena FRIDERICI totiusque SERENISSIMAE FAMILIAE DVICALIS felicitate. Si annorum aetatis numerus in Principibus pietati atque clementiae illorum responderet, quod optari semper debet, & expectari saepius potest, DUCEM nostrum CLEMENTISSIMUM, dimidium seculum nunc emensum, oporteret longissime adhuc a vitae SVAE terrestris abesse meta, id quod a Deo enixe precabimur.





Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.


Second block of faint, illegible text in the upper middle section.

Third block of faint, illegible text in the lower middle section.











prietates, diuersitates variasque quibus se exerunt legendo; rationes, habere perspectas; ideoque cum mentis h... que Ethices cognitione solida, tum prudentia compr... entiae notiones ad singulares adiones applican... peritia & prudentia, haud vulgariter instructi... em, forsan quis dicet, aliam difficultatem illa pu... em.

Quantum ad hoc, non adeo diffi... um, existi- stimo, quam rara forsan est illo vtend... i enim ad educandi munus cupit admoueri, eu... alem saltem operam virtutis & honestatis scien... Philosophiae, legendo & meditando dedisse. E... omnem doctri- nam ineptus, de opera in hac a... o tempore potest conqueri? Hanc autem scien... er in se ipso & in aliis colere serio velit; sic ex... antulum saltem poterit; & si modestus sit, ne suae intelligentiae antequam maturitatem... is facile confidat, tum satis eum ad hoc munu... ratum esse arbitror. Non subsistere tamen deb... sed accedat, vti in omni alia re, ita in hac... exercitatio, & discat deinde docendo, necessa... i autem viri, si praesto sunt, egregium quid... t, vti mihi quidem videtur, du- bio, & si non... tamen coniunctis viribus & vo- luntatibus.

immin... ae ex re ipsa nascitur difficultas multum opius eam adspicias. Separantur ex illis, quae... prehendis, primo quae cum aliis illi com- ali... ones; quo distinctius & facilius attentio ad... t, queat conuerti: tum adde aetatis, & disci- puer vsus est, quam tuis curis demandatus fue-... ire potest, nec non fortunae, qua gaudet, & vi- nis, cui se dicauit, si sua sponte ad illam fertur, con-

